

calumnia, et pœnis ejus non excusatur per hoc, quod dicat : « Audi hoc a viris fide dignis : » vel, « fuit communis fama de hoc, » etc. nisi hoc etiam legitime probet.

23. *Dictæ causæ etiam excusant ab actione injuriarum.* — Quæritur IV. Num enarratæ justæ causæ non tantum a nota calumniatoris, et pœnis ejus, sed etiam ab actione injuriarum immunem reddant accusatorem deficientem in probatione criminis objecti? Resp. Affirmative, saltem si justa causa talis sit, quæ non tantum a dolo, sed etiam a culpa, et temeritate excusat. Farinacius, loc. cit. n. 67 et 71; Covarruvias, *Variar. resolut.* lib. I, cap. XI, n. 6; Menochius, consil. 145, n. 14; Cæpol. in *Consil. criminal.* 70, dub. 3, cum communi contra Alexand. *Consil.* 11, n. 4, volum. 1; Boss. *de Accusat.* n. 19, ad finem; Bajard. ad Clarum, § fin. q. 62, n. 34, et alios volentes, quod etsi reus contra accusatorem in probatione deficientem tanquam calumniatorem agere, et ab eo qua tali expensas litis, et alia prætere tendere non valeat, possit tamen contra illum instituere actionem injuriarum, quæ ad damna, et interesse etiam competit. Ratio autem conclusionis nostræ est, quod justa causa a dolo, et animo injuriandi excuset, per dicta; injuria autem sine dolo, et animo injuriandi non committatur, l. 3, § ult. et penult. l. 4, ff. *de Injur.* et l. *Si non convicti*, c. eod. ergo, ubi adest justa accusandi causa nulla infertur injuria, et per consequens non datur actio injuriarum.

24. Confirmatur. Doctores omnes etiam adversarii concedunt, quod in actione civili justa causa excuset ab expensis; ergo etiam in criminali; ut bene docet Bart. in l. *Non ignorat. c. de Fruct. et Lit. expens.* præsertim, quod alias nemo accusare auderet, sicque delicta manerent impunita, si justa causa accusantem non excusaret ab actione injuriarum, et expensis litis, prout consideranti patet.

25. *Si accusatio caret omni culpa.* — Dicitur tamen notanter in conclusione, si justa causa non tantum a dolo, sed etiam ab alia culpa accusantem immunem reddit; alias enim illum saltem actione injuriarum ad expensas teneri. Sunt plures, quia si accusatio temeritati et culpæ obnoxia est, tanquam iniqua causa damni accusantem ad refundendas saltem expensas obligat; textu valde claro, l. *Eum qui*, 79, ff. *de Judiciis*; Menochius, *Consil.* 149, n. 14, et alii.

26. *Præter calumniam accusatores etiam prævaricando, et tergiversando delinquant.* — Quæritur V. Quibus aliis modis accusatores delinquant, et pœnas juris incurrant? Resp. Præter calumniam, etiam prævaricari, et tergiversari, ac propterea etiam puniri possunt accusatores, ut patet ex l. 1, § 1, ff. *ad S. C. Turpil.* ibi : « Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, et tribus pœnis subjicitur; aut enim calumnantur, aut prævaricantur, aut tergiversantur. » Quid sit, et quibus pœnis subiaceat calumniari, jam patet ex dictis.

27. *Prævaricari, quid?* — Prævaricari dicitur, qui vel verus, vel simulatus accusator existens, postea incipit cum reo inique colludere, veras probationes delicti dissimulando, vel falsas, aut frivolas exceptiones admittendo, sicque partes rei, cujus adversarium se simulat, fovendo cit. l. 1, § 6, ff. *ad S. C. Turpil.* ibi : « Prævaricatorem eum esse, ostendimus, qui colludit cum reo, et translative, id est, obiter, munere accusandi fungitur, eo quod proprias quidem dissimularet, falsas vero rei exceptiones admitteret. » Concordat l. 1 et 2, *de Prævaricat.*

28. *Pœna prævaricatoris.* — Pœna prævaricatoris est, quod contrahat infamiam juris, textu expresso l. *Si iis*, 4, ff. *de Prævaricat.* et hoc ipso etiam irregularitatem can. *Infames*, cau. 6, q. 1, cum concordantiis. Præterea puniuntur pœna extraordinaria ad arbitrium judicis l. 1 et 2, ff. *de Prævaricat.* ibi « Sciendum est, quod hodie iis, qui prævaricati sunt, pœna injungitur extraordinaria, de prævaricatione adhuc tit. XXII, de collusionem detegenda. »

29. *Tergiversari, quid?* — Tergiversari (quasi tergum vertere) dicitur, qui post litem contestatam ab accusatione criminis citra abolitionem desistit, l. 1, ff. *ad S. C. Turpil.* ibi : « Tergiversari est, in universum ab accusatione desistere. » Et hoc delictum est; quia juxta dicta tit. præced. n. 50, ab accusatione vel denuntiatione semel instituta, post litem contestatam non licet amplius desistere citra abolitionem, quæ est accusationis institutæ peremptio, qua nomen accusati cum omni inscriptione jam facta totaliter aboletur, remissa necessitate accusandi; quæ abolitio impetrari debet vel a principe, vel alia publica auctoritate, arg. l. *Si interveniente*, 12, ff. *ad S. C. Turpil.* (ADNOTATIO II.)

30. *Tergiversationis pœna.* — Pœne tergi-

versationis est quinque librarum auri, juxta l. 3, ff. *de Prævaricat.* aut juxta l. 1, c. ut intra certum tempus accusator non comparens debito tempore quarta omnium bonorum parte privatur, et infamis evadit; et consequenter etiam irregularis.

TITULUS III.

De simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.

1. *Ratio continuationis.* — Visis de processu criminali in genere, nimirum de accusationibus, inquisitionibus, et denuntiationibus, simulque de calumniatoribus malitiose proximum accusantibus; pergit compilator juris canonici ad ipsamet crimina in specie, et singillatim discutienda, ob quæ processus, et judicium criminale instituitur; incipiendo a simonia, utpote gravissimo et Ecclesiæ maxime nocivo crimine, adeo ut omnia crimina ad comparisonem simoniæ, quasi pro nihilo reputentur; can. *Patet*, 27, cau. 1, q. 7, prout magis dicitur infra § n. 7.

§ I.

DE ORIGINE, NATURA, ET MALITIA SIMONIÆ.

2. *Simonia derivatur a Simone mago: et quare?* — Pro prima paragraphi parte communiter receptum est, simoniam secundum nominis etymon a Simone Mago derivari. Quamvis enim jam a pluribus ante ipsum, vitium istud commissum fit, ut a Balaam, pretio conducto per Balac regem, ut malediceret populo Israel. Num. cap. XXII, a Giezi famulo Elisæi prophetæ 4, Reg. 5, a Jassone, qui pro sacerdotio multa talenta regi Antiocho obtulisse legitur 2, Machab. 5, et a Juda mercatore pessimo, qui triginta argenteis infinitum bonum, Christum Jesum vehdidit, can. *Qui studet*. cau. 1, quæst. 2. Tamen non ab istis, sed a Simone Mago crimen istud nomen accepit: Tum quia primus in novo Testamento per Apostolos jam promulgato, crimine isto gravissime, et manifeste se inquinavit, dum rem maxime spiritualement, videlicet mirabilem illam potestatem conferendi Spiritum S. vili pecuniarum

pretio malitiose emere volebat, Act. 8, ibi : « Obtulit eis (Apostolis) pecuniam dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuiunque imposuero manus, accipiat Spiritum S. » Cujus malitiam illico increpans Petrus dixit ad eum : Pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam donum Dei existimasti, pecunia possideri. Tum quia intentione malitiam hanc duplicante id attendebat, ut scilicet potestatem illam pecunia consecutus, eandem cum quæstu et lucro temporali majori exercere posset; ut habetur can. *Salvator*, 8, cau. 1, quæst. 3, ibi : « Simon Magus, qui ad fidem fictè accessit, non Spiritum S. propter Spiritum S. quo ipse erat indignus (quoniam ut scriptum est, Spiritus S. disciplinæ elligiet fictum) sed ideo, quantum in ipso erat, emere voluit, ut ex venditione signorum, quæ per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. » Nota igitur nominis simoniæ origine :

3. *Definitur simonia, explicatur definitio.* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit simonia? Resp. I. Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Ita Glossa communiter recepta ad rubricam h. t. Explicantur verba singula. Dicitur primo, studiosa voluntas, id est, deliberatus, et cum advertentia mali habitus actus voluntatis : nam simoniæ reus saltem coram Deo non est, qui vel ex inadvertentia temporale pro spirituali, vel reciproce emit, aut vendit : vel qui ex ignorantia juris aut facti id facit; dum videlicet vel ignorat id esse illicitum, vel non scit rem esse spiritualement.

4. Dicitur emendi, vel vendendi, quibus verbis non sola emptio, et venditio proprie dicta, sed omnis alius gratuitus, tacitus, vel expressus contractus onerosus, tam nominatus, v. g. permutatio, locatio, transactio, datio in solutum, etc., quam innominatus do ut des, do ut facias, etc., intelligitur : nam ratio materiæ subjectæ id postulat, fundaturque talis acceptio in jure l. *Statu liberi*, 29, ff. *de Statu liberis*. ibi : Lex duodecim Tabularum exemptionis verbo omnem alienationem complecti videtur.

5. Dicitur aliquid spirituale, vel spirituali annexum; per quæ verba quid intelligatur, plene declarabitur infra § seq. Addunt aliqui majoris claritatis gratia, pro re temporali; verum sicut Glossa omittit illa verba, ita et nos illa hic in definitione simoniæ

omittimus; quia tacite jam includuntur in verbis emendi, vel vendendi, hoc ipso, quod in emptione, et venditione semper necessario interveniat pretium temporale.

6. *Est peccatum mortale gravissimum, et omnium maximum.* — Resp. II. Simonia est peccatum mortale sacrilegii gravissimum. Ita unanimes et certa. Quod sit sacrilegium, patet ex can. 1, cau. 1, quæst. 3. Ratio est, quia per eam indigne ac irreverenter tractantur res sacræ seu spirituales, quod semper sacrilegium est; prout magis theologi. Quod autem sit mortale, et quidem gravissimum, ex sacris litteris, jure, et multiplici ratione constat. Ex sacris paginis Act. 8, ubi S. Petrus in Simonem Magum cum æternæ perditionis comminatione graviter invehendo dicit: « Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti, pecunia possideri.

7. *Probat ex jure.* — Ex jure vero variis in locis id manifeste patet, uti can. *Reperiuntur*, 7, cau. 1, quæst. 1, ubi simonia vocatur execrabile flagitium. Item can. *Sane*, 4, cau. 15, q. 3, ubi crimini publico, et læsæ majestatis æquiparatur, c. *Cum in Ecclesia*, 9, n. t. dicitur horribile nimis. Item can. *Quisquis*, 5, cau. 1, q. 1, nominatur piaculare flagitium. Gelasius Papa gravissimam hujus vitii malitiam et pravitatem paucis exprimere volens can. fin. cau. 1, quæst. 7, dicere non dubitavit: Omnia crimina ad comparationem simoniæ, quasi pro nihilo reputantur. Unde non immerito statuitur can. *Erga Simoniacos*, 109, cau. 1, p. 1, ut contra Simoniacos absque ulla misericordia procedatur.

8. *Et ratione.* — Ratio tantæ malitiæ multiplex quidem, potissima autem hæc est, quia per simoniam res sacræ ac spirituales, seu supernaturales, ac dona Spiritus S. maxime profanantur, indignissime tractantur, a parte rei iniquissime contemnuntur, et vilipenduntur, hoc ipso, quod, dum simoniace dantur, aut procurantur, re ac pretio temporali æstimentur, eique æquiparentur; cum tamen quævis etiam minime res spiritualis, seu supernaturalis omnia mundi pretia longe superet. Imo per simoniam non tantum res spiritualis, sed in rebus spiritualibus ipse Spiritus S. indignissime tractatur, et pretio vilissimo æstimatur, emendoque et vendendo servus creaturarum in libera earundem potestate positus, execrabili sacrilegio efficitur, prout

verbis expressis habetur can. *Eos*, 21, cau. 1, q. 1, ibi: Isti (simoniaci) Spiritum S. efficiunt suum servum. Omnis enim Dominus, quod habet, si vult, vendit, sive servum, sive aliquid aliud eorum, quæ possidet. Similiter et qui emit, dominus ejus volens esse, quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit. Ita et qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui S. æqualiter peccantes his, qui blasphemant, etc., atque Judæ comparantur proditori, qui Judæis Dei occisoribus Christum vendidit. Quid amplius ad probandam, et detestandam malitiæ simoniacæ gravitatem dici posset?

9. *Vocatur etiam, sed non semper est hæresis.* — His accedit, malitiamque simoniæ auget, quod in jure passim vocetur hæresis, eique æquiparetur; ut can. *Presbyter*, 3, can. qui studet, 11, can. *Quicumque*, 12, can. *Cum iqueat*, 43, cau. 1, q. 1, cum concordantius; imo can. fin. cau. 1, q. 7, dicitur: Simoniacos veluti primos et præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus respuendos esse. Verum licet simonia cum hæresi committi possit, nonnunquam committatur, quando videlicet committens illam, vere existimat, res spirituales, seu supernaturales, et dona Spiritus S. pecunia, seu alia re temporali acquiri, ac possideri posse; hoc enim sentire, est formalis hæresis, ac detestabilior hæresis Macedonii, can. *Eos qui*, cau. 21, q. 1, (prout etiam Simon Magus in hoc sensu committens, veram commisit hæresin, verusque fuit hæreticus) tamen sine hæresi committi potest Simonia, quando scilicet quis bene scit, et credit, spiritualia pro temporalibus emi aut vendi non posse, et nihilominus ex avaritia, aut alia inordinata cupiditate id attentat; prout plerumque fit, dum his temporibus simonia committitur.

10. *Simoniam est perniciosissima Ecclesiæ.* — Augetur ulterius gravissima simoniæ malitia, quod Ecclesiæ Dei perniciosissimum, et vel inde etiam pessimum vitium sit, prout bene observat Layman, lib. IV, tr. IV, cap. viii, num. 4; Pirhing, h. t. n. 3, cum communi aliorum. Ratio est, quia per simoniam facile fit, et utinam non sæpe fieret! quod indigni assumantur ad prælaturas cum gravi Ecclesiæ et subditorum damno ac præjudicio, beneficia conferantur iis, qui parum attendentes onera beneficiorum, solis inhiant redditibus, non sine injuria et

defraudatione foundationum: Ad religiones neglectis dignioribus suscipiantur indigni, aut inepti magno cum religionum detrimento: ecclesiis parochialibus tales, qui vel defectu sufficientis scientiæ et morum, necessarium doctrinæ, et exempli pabulum subtrahunt ovibus, easque lenta fame perimunt; vel, quod deterius est, male habitati, vitis aperte indulgendo, eisdem malo exemplo crudeliter mactant, indeque non tam pastorem, quam lupum pro custodia sua habere cogantur miseræ ac simplices oves, cum ingenti earundem strage et interitu; sicut enim per bonos et dignos pastores plurimas salvari oves, ingensque emolumentum spirituale provenire certum est, ita per malos et indignos, non paucas perire, deplorandumque detrimentum spirituale sequi, compertum est. Propter quæ, ad similia Ecclesiæ, et animarum damna, mansuetissima alias Christi Sponsa Ecclesia per sacrosanctos canones justa indignatione mirum in modum invehitur in simoniam ac simoniacos, ita ut nullam misericordiam exhiberi velit simoniaci, cit. can. *Erga Simoniacos* 109, cau. 1, q. 1. Simoniam vero præter gravissimam infra § 11, allegandas penas variis, iisque pessimis afficiat titulus; nam c. *Sicut*, 6, h. t. Pestis omnes alios morbos vincens, ab Ecclesia Dei illico eliminanda dicitur. c. *Reperiuntur*, 7, cau. 1, q. 1. Vulnus cancerosum nominatur can. *cum ordinaretur*, 14, ead. cau. et q. Lepra appellatur, etc. Væ omnibus, qui simoniace vel dant, vel obtinent beneficia maxime curata; præsertim cum vix sit (excepta ignorantia invincibili) quod a simonia excuset, uti magis dicitur infra § 3.

11. *Non datur in ea levitas materiæ, nec ex parte rei temporalis.* — Queritur II. An datur in simonia levitas materiæ excusans saltem a mortali? Resp. Nec ex parte rei spiritualis, nec ex parte rei temporalis (quæ pro invicem dantur, aut promittuntur, etc.) datur levitas materiæ, sed omnis simonia etiam in minimo, et per minimum advertenter commissa, gravissimam supra declaratam malitiam continens peccatum mortale est. Sanchez, lib. I, in Decalog. cap. iv, num. 1; Layman, loc. cit. num. 4; Navarrus, h. t., cons. 52, n. 3; Palao, de simonia puncto 1, num. 7; Bonacina, de Simonia, q. 3, n. 13, cum communi. Quod non datur ex parte rei temporalis, quæ datur aut offertur pro spirituali, probatur ex

c. *Ex tua*, 20, h. t. ubi clericus, qui sex tantum solidos pro ordinatione solvit, perpetuæ suspensioni subicitur, quæ pœna utpote gravis utique gravem culpam supponit, cum pœna commensuretur culpæ, arg. can. *Non offeramus*, 21, can. 21, q. 1, et c. *Quæsit*, 2, de His, quæ fiunt a majori parte capituli. Probatur insuper ex can. *Placuit*, 102, cau. 1, q. 1, ubi etiam sola tremissis (est tertia pars unius solidi juxta Glossam hic 7. Tremessem) pro modico chrismate, sub æternæ damnationis periculo prohibetur, ne forte, inquit textus, quod pro salute animarum per invocationem Spiritus S. consecratur, sicut Simon Magus donum Dei pecunia voluit emere, ita et nos venundantes, damnabiliter venundemur. Concordat can. *Judices*, 23, cau. 1, q. 1. Ratio est, quia quo minor ac vilior est res temporalis, eo magis vilipenditur, et indigne tractatur res spiritualis, utpote quæ pro parvo pretio temporali æstimatur et æquiparatur; ut proin ex vilitate seu parvitate rei vel pretii temporalis non minuatur, sed augeatur malitia simoniæ.

12. *Nec obstat c. Etsi quæstiones*, 18, h. t. ubi ratione modici pretii excusatur quis a simonia. Nam contra est; quod non excusetur ex eo, quasi vero modica pretii quantitas non sufficeret ad grave et mortale peccatum simoniæ, sed ex eo, quia Ecclesia benigne præsumit, quod modica pretii quantitas sit gratis data, ac insufficientis, ut moveat et obliget accipientem ad dandum propterea aliquid spirituale. Veritas hujus patet ex ipso textu ita sonante: Si persona offerat electuarium, aut de vino, aut de aliis hujusmodi, quæ modici pretii sunt, et quæ voluntatem recipientis movere non debeant Ecclesia Romana interpretari non consuevit (nota benignam interpretationem) accipientem in his delinquere, vel dantem. Sufficit ergo quævis minima quantitas pretii, vel muneris temporalis ad grave Simoniam peccatum committendum, gravesque pœnas in conscientia contrahendas, adeo, ut, licet Ecclesia ex benigna interpretatione modicum quid temporale pro spirituali, beneficio v. g. consequendo, dantem, vel præstantem, in foro externo simoniæ reum nec judicet, nec puniat, talis nihilominus coram Deo gravis simoniæ, et pœnarum illarum reus existat, consequenter (juxta dicenda infra de pœnis simoniæ) beneficium dimittere, et fractus illius restituisse

debeat, si illud modicum temporale obligatorie, vel saltem ut motivum pro consequendo beneficio dedit, ac præstitit.

13. *Nec ex parte rei spiritualis.* — Probatum etiam, quod ex parte rei spiritualis non detur parvitas materiæ a mortali excusans ex cit. can. *Placuit*. 102, cau. 1, q. 1, ubi sub æterna damnatione, consequenter sub peccato gravi illicitum declaratur, etiam pro modico balsami benedicti aliquid temporale dare, vel accipere. Ratio patet; quia cum quævis etiam minima res spiritualis omnibus mundi thesauris sine comparatione præstantior sit; irreverenter, et sacrilege tractatur, magnaue injuria ei irrogatur, si æqualis cum re temporali pretii indignissime æstimatur, et pro eo datur. (ADNOTATIO III.)

§ II.

DE DIVISIONE SIMONIÆ IN MENTALEM, CONVENTIONALEM, REALEM, CONFIDENTIALEM, ET IN EAM, QUÆ EST JURIS DIVINI ET HUMANI.

14. *Ratio hujus divisionis.* — Notandum prius, simoniam communiter dividi in præfata rubricæ membra, de quibus licet specialis difficultas aut controversia apud doctores non existat, exacta tamen illorum cognitio valde necessaria est ad cognoscendum, an, et quibus pœnis ob commissam simoniam in foro externo, vel interno quis subjaceat; cum non quævis simonia pœnam secum trahat, nec ob quamvis eadem pœna incurratur, prout patebit ex § 11. Hinc pro debita horum notitia specialem paragraphum de divisione, et membris simoniæ apponere placuit.

15. *Simoniam mentalem et internam, quid? et quomodo differant? Ecclesia tantum judicat de externis.* — Quæritur I. Quid sit simonia mentalis? Quid conventionalis? Et quid realis? Ante responsionem nota, merito sub una quæstione tria hæc simoniæ membra examinari, quia cognitio unius a cognitione alterius dependet, eamque juvat. Notandum ulterius, tria ad propositum considerari posse in simonia, videlicet interna voluntas seu intentio, pactio externa signis vel verbis expressa, et executio ipsius pactionis. Et secundum hæc tria communiter dividuntur canonistæ simoniam in mentalem, conventionalem, et realem; prout statim magis patebit. Nam

Resp. I. Simoniam mentalem illam (de qua doctores et jura loquuntur) est quando quis dat temporale pro spirituali, aut reciproce hoc pro illo, sine ullo quidem pacto expresso, vel tacito externe manifestato, hac tamen interna intentione, seu proposito, ut alterum obliget, moveat, aut alliciat ad dandum spirituale beneficium v. g. ecclesiasticum pro temporali, aut reciproce ad dandum temporale pro spirituali.

Dicitur notanter, quando quis dat; quia, quod actu det, ad hanc simoniam necessario requiritur, ita, ut quamvis coram Deo etiam veram et mortaliter peccaminosam simoniam quis committat, quando præcise interne proponit dare, aut præstare temporale pro spirituali, aut e contra; etsi nondum sit executus propositum, tamen hæc simonia, non dicatur mentalis in sensu, in quo de illo communiter loquuntur doctores, sed potius dici possit, ac debeat simonia interna: mentalis vero, de qua loquimur, sit illa, quæ quidem actum externum habet, malitia tamen illius se non prodit exterius, sed in sola mente remanet. Hujusmodi simoniæ mentales referuntur c. *Tua nos*. 34, et c. fin. h. t. simulque additur, illas ab Ecclesia, utpote de manifestis tantum judicante, non puniri, licet apud districtum judicem (qui est scrutator cordium, et cognitor secretorum) culpabiles judicentur, uti dicitur cit. c. 54, h. t. unde et in tali casu delinquentibus sufficit, per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori, prout additur cit. c. fin. eod.

16. *Simoniam mentalem subinde ex parte utriusque, subinde ex parte unius, et quidem persæpe fit: exemplificatur.* — Hæc simonia mentalis a pœnis Ecclesiæ libera, quæque ex parte utriusque committitur; dum nempe unus dat, et alter accipit quidpiam simoniaca intentione, ita tamen, ut nullus suam malitiosam intentionem internam verbis vel signis exterius manifestet. Ex parte unius frequentissime, proh dolor! contingit, ut si quis v. g. serviat episcopo, patrono, vel alii pro exiguo, aut incompetente salario, hac intentione occulta, nullo signo externo manifestata, ut ab eo in compensationem, aut recognitionem præstiti servitii conferatur beneficium, etc. Item, si quis canonici, parochiæ, aut alii beneficio inhians munera offert, aut obsequia sive personalia, sive realia præstat collatori, electori, patrono, commendatori (id est illi quem gra-

tia pollere ad collatorem v. g. scilicet) externa simulando, quasi omnino gratis, et nescio quo titulo licito ita faceret, habens interim in mente hanc intentionem seu propositum, ut tali munere, vel obsequio alterum moveat ad conferendum, aut procurandum sibi beneficium.

17. Pariter discurrendum est de illis, qui spirituale dant, beneficium v. g. conferunt, vel ad illud præsentant, eligunt, etc., hac occulta intentione et animo, ut accipiens, vel intuitu accipientis, alii obligentur aut moveantur ad conferendum sibi, vel suis consanguineis aliquid temporale, vel hoc aut illud sibi suisve præstetur obsequium temporale, vel suo tempore conferantur officium temporale, vel fiant intercessiones, recommendationes, etc.

18. *Transit sæpe in conventionalem et realem.* — Et quamvis ob hujusmodi simoniam, quandiu manet occulta, nulla incurratur Ecclesiæ pœna solumque Deum judicem habeat et vindicatorem; tamen si ita fit, ut alter facile advertere possit, ac debeat, jam transit in simoniam conventionalem; etsi propterea etiam temporale pro spirituali, aut spirituale pro temporali confert, aut præstat, simonia realis evadit, et pœnas juris in ipso facto inducit.

19. *Simoniam mentalem, quid?* — Resp. II. Simoniam conventionalis est, quando intervenit etiam conventio, seu pactum expressum, vel tacitum, externe manifestatum dandi temporale pro spirituali, aut e contra, ita tamen aut vel ex nulla, aut una tantum fiat executio, qua unus quidem dat spirituale v. g. beneficium cum expresso vel tacito externe manifestato pacto obtinendi rem temporalem, alter vero, beneficium nempe accipiens non dat illam. De hujusmodi simonia conventionali causa habetur c. *Cum essent*, 12, h. t. Quod si ex nulla parte fit executio, vocatur simonia conventionalis pura: si vero saltem ex parte unius fit executio, juxta dicta, vocatur simonia conventionalis mixta: utpote aliquid de reali, et aliquid de conventionali habens. Casu quo autem fieret quidem externa pollicitatio seu promissio dandi temporale pro spirituali, aut e contra: ab alio vero non esset acceptata non esset conventionalis, sed tantum mentalis simonia, ut bene advertit Farinac. l. I, de *Decis*. 34, a num. 4, quia deest vera conventio et pactum, quæ est duorum, vel plurium in idem placitum consensus tacitus, vel ex-

pressus l. I, § 2, ff. de *Pactis*. cum Concordant.

20. *Et quid realis?* — Resp. III. Simoniam realis est, quando tacita vel expressa pactio seu conventio de danda re spirituali pro temporali, aut e contra, ex utraque parte saltem inchoate impletur, id est, quando unus rem spiritualem, beneficium v. g. et alter istud pro illa jam actualiter tradidit. Lessius lib. II, cap. xxxv. Dubit. 6, num. 36. Pirhing, h. t. n. 9. Herincx, de *Simoniam*, q. 1, num. 9. Guttier., can. quæst. lib. I, cap. ix, num. 10. Covarruvias, in reg. *Peccatum*, 2, § 9, num. 7. Flamin. Paris, de *Resignat.*, lib. VII, q. 2, num. 7. Suarez, cum communi, et veriori aliorum, contra Sotum lib. IX, q. 8, a 1. Palao, de *Simoniam*, punct. 22, n. 4. Cajetan. 2, 2, q. 100, art. 6, et nonnullos alios volentes, ad simoniam realem committendam sufficere, si actu traditur, aut præstatur res spiritualis pro temporali, etsi pretium temporale solutum aut præstitum non sit. Verum a priori et communiore sententia recedendum non est; ut proin simonia quocumque tandem etiam firmissimo contractu commissam tandiu maneat solummodo conventionalis, et consequenter a pœnis canonicis immunis, donec res utrinque saltem ex parte tradatur.

21. *Non est simonia realis, quæ utrinque non est completa. Qui promissit temporalem pro spirituali, non tenetur ad illud, etsi istud jam acceperit.* — Infertur, si quis etiam serio promissit temporale pro spirituali, vel e contra, et postea beneficio v. g. jam accepto, pœnitentia ductus promissionem ex parte sua adimplere, temporale videlicet promissum dare, aut præstare recusat, et omittit, simoniæ realis, et pœnarum juris reus non erit. Neque habet, quod in hoc casu injustitia sibi timeat; quia res sacræ in commercium, et contractum humanum venire non possunt, l. *Inter stipulationem*, 83, § 5, ff. de *Verb. obligat.* et conventio pro illis per aliquid temporale acquirendis invalida est, consequenter nullam obligationem inducit, arg. can. *Si quis*, 8, cau. 1, q. 1, l. *sed Celsus*, 6, princ. ff. de *Contrah. empt.*

22. *Sufficit ad simoniam realem, etsi non totum sed secundum partem duntaxat detur promissum temporale, aut e contra.* — Dicitur autem saltem inchoate, quia, ut bene cum præcitat observat Lessius, loc. cit., ad simoniam realem non requiritur ut totum, quod promissit, quis tradat, sed sufficit, si inchoate, seu ex parte det.